881
S35.Ycy

UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class 881 | Book S35.Ycy | Volume

Mr10-20M

QUAE SOCRATIS DE DIIS ET DAEMONIO FUERINT OPINIONES, ET QUAE XENOPHONTI PLATONIQUE IN IIS TRADENDIS FIDES ADJUNGENDA SIT EXPLICATUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. AUGUSTI MDCCCLXX. H. XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

BRONISLAUS ĊYBICHOWSKI,

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

J. RUCZYŃSKI, CAND. PHIL.

J. FLEISCHER, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

881
S35.Ycy

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM.

173399

De Socratis doctrina, quae sit undeque haurienda, utrum e Platonicis, an e Xenophonteis libris, magnopere viri docti jam antiquitus inter se discrepuerunt. Nam alii, iique veteres et recentiores, fontium auctoritatem omnino non exquirentes, utrique scriptori eandem fidem tribuerunt; alii vero, quos dissensio eorum non praeteriit, aut Xenophontem aut Platonem praecipuum philosophiae Socraticae censuerunt esse auctorem[1]).

In illis Schleiermacherus[2]) postquam ex iis, quae Xenophon de Socrate prodiderat, Socraticae philosophiae praestantiam elucere plane negavit, neque tamen solum Platonem, quippe qui imprimis in posterioribus dialogis magistri opinionibus suas immiscuisset, ad restituendam Socratis doctrinam adhiberi voluit: unam in ea quaestione instituenda certam viam esse statuit hanc, ut, omnia acute perpendentes, ea pro Socraticis haberemus, quae neque Xenophontis narrationi dilucidae repugnarent, neque Platoni totam adumbrationem refellerent.

---

[1]) Virorum doctorum de hac re opiniones collegit praeter alios Hurndall: De philosophia morali Socratis. Heidelberg 1853.

[2]) »Ueber den Werth des Socrates als Philosophen.« Sämmtl. Werke Schleiermacher's. III Abth., II. Bd., p. 296—297.

Tum Brandisius[1], qui de Xenophonte et Platone eadem atque Schleiermacherus sensit, quaestionis rationem, ab illo propositam, ita auxit, ut ea quoque, quae Aristoteles tradidisset, norma quaedam respicienda esse putaret. At Hermannus[2], Xenophontis auctoritate defensa, ex ejus libris iisque solis Socratis doctrinam colligi posse contendit, idemque Platonem in dialogis, quos magistro suo etiam tum florente vel brevi post ejus mortem conscripsit, veram illius doctrinam tradere concessit. Tantum tamen abest, ut posteriores Platonis dialogos plane negligat, ut et Timaeum et Rempublicam et Leges laudaverit[3]. Assensus est in universum Hermanno Zellerus[2].

Omnes vero illi viri doctissimi locos, qui ad Socratis de Diis doctrinam pertinent, ex utroque scriptore accurate congerere et inter se conferre omiserunt. Fortasse igitur id, quod ego mihi proposui, Socratis doctrinam de Diis daemonioque e Xenophontis et Platonis libris colligere et comparare, fidemque ita utriusque scriptoris etiam in hanc partem constituere, aliquid utilitatis habebit. Sed antequam ad propositum transeam, ut quae Socrates petierit intelligamus, aetatem, qua ille floruit, paucis depingere liceat. —

Graecia igitur illo tempore jam dilabebatur. Evanescebat morum integritas et simplicitas, communitas, religio. Namque Sophistae, scientiam ad opiniones de-

---

[1]) Grundlinien der Lehre des Socrates. Rh. M. I, p. 125.

[2]) Geschichte und System der Platon. Philosophie. Heidelb. 1839, p. 80, 388, 569.

[3]) L. l. p. 330, 328.

[4]) Zeller: Die Philosophie der Griechen u. s. w. II. Th. II. Aufl., p. 72, 338. Tübingen 1859.

minuentes[1]), nec quidquam pro certo habentes, praeter id unum, quod ipsi de rerum cognitionisque inconstantia protulerant, omnia, quae usque ad illud tempus firma erant firmabantque societatem, in suspenso reliquerunt. Nihil esse, quod re esset, opinabantur, neque legem ullam[2]), quam qui tulissent, suis commodis tulissent, neque religionem[3]), quae ab hominibus prudentibus ob rempublicam tuendam ficta esset, neque Deos[4]), quos esse nequaquam demonstrari posse. Sapientiam tamen esse, quamvis mensura eorum, quae sunt, unus quisque hominum esset[5]) scientiaque eadem esset atque sensus[6]), nullo modo negabant. Immo illum esse sapientem contendebant, qui eorum, quae mala viderentur essentque, rationem permutans, ea bona apparere esseque fingeret[7]).

---

[1]) Cf. Platon. Gorg. 459 B: αὐτὰ μὲν τὰ πράγματα οὐδὲν δεῖ αὐτὴν (scil. ῥητορικὴν τέχνην) εἰδέναι ὅπως ἔχει, μηχανὴν δέ τινα πειθοῦς εὑρηκέναι κ. τ. λ.

[2]) Ibid. 483 B: ἀλλ', οἶμαι, οἱ τιθέμενοι τοὺς νόμους οἱ ἀσθενεῖς ἄνθρωποί εἰσι...... Πρὸς αὑτοὺς οὖν καὶ τὸ αὑτοῖς σομφέρον τούς τε νόμους τίθενται κ. τ. λ.

[3]) Cic. De nat. Deo. I. 42. 118: ... »ut quos ratio non posset eos ad officium religio duceret.

[4]) Theaet. p. 162 D: θεοὺς...... οὓς ἐγὼ ἔκ τε τοῦ λέγειν καὶ τοῦ γράφειν περὶ αὐτῶν, ὡς εἰσὶν ἢ ὡς οὐκ εἰσίν, ἐξαιρῶ κ. τ. λ.

[5]) Ibid. p. 160 D: .. κατὰ δὲ Πρωταγόραν ... πάντων χρημάτων ἄνθρωπον μέτρον εἶναι.

[6]) Ibid. p. 160 E: .. κατὰ δὲ Θεαίτητον τούτων (sc. Ὁμήρου, Ἡρακλείτου καὶ Πρωταγόρου) οὕτως ἐχόντων αἴσθησιν ἐπιστήμην γίγνεσθαι.

[7]) Theaet. p. 166 D: καὶ σοφίαν καὶ σοφὸν ἄνδρα πολλοῦ δέω τὸ μὴ φάναι εἶναι, ἀλλ' αὐτὸν τοῦτον καὶ λέγω σοφόν, ὃς ἄν τινι ἡμῶν, ᾧ φαίνεται καὶ ἔστι κακὰ, μεταβάλλων ποιήσῃ ἀγαθά φαίνεσθαί τε καὶ εἶναι.

Sed alii, sophistarum opinionibus nondum imbuti, non solum omnes Deos populares vere esse credebant, sed eos, ut traditum erat a poëtis, humanis vitiis criminibusque inquinatos. Ita Euthyphro[1]) et Jovem, patrem suum, ligavisse, quod natos devoravisset, et bellum inter Deos agi inimicitiasque graves et pugnas, et alia hujus generis pro certo habuit. Patrem igitur, reum quod homicidam quendam, donec ab juris perito quid agendum esset comperiret, in foveam conjectum neglexit, ita ut is moreretur, peragere nihil impium ei visum est, quum nulli prorsus peccanti, quisvis ille esset, parcendum esset[2]). Magna certe erat ista opinionum confusio, quae ne naturales quidem appetitus intactos reliquisset! Verum extitit Socrates, vir summo ingenio praeditus, eximiaque morum sanctitate, religione, prudentia, simplicitate excellens, qui se ipsum, Athenienses, rerum statum optime cognovit, suumque esse censuit societatis conditionem emendare, firmare quae labefactata erant, perversa instaurare; vir denique solus his temporibus idoneus, qui malum, jam altissimis radicibus defixum, evelleret. Quodsi ei totum non successit, si Graecia nihilominus celerrime ad interitum ruebat, perdiditque libertatem, id quidem Socrati crimini dari non potest, sed infaustis conditionibus potentioribus, quam quibus mortalium quis repugnare posset.

Sed Socrati id imprimis tentandum erat, ut opinionum confusionem, morumque corruptionem deleret. Quae duo mala quum omnino arctissime inter se cohaereant, quia opinionum confusio, jam moribus penitus insita, nisi

---

[1]) Euthyphro. 5 E, 6 B D C.

[2]) Ibidem p. 4 C D.

moribus emendatis, nec morum corruptio, nisi opinionibus falsis evulsis, tolli potest, tum eo arctius e Socratis sententia cohaerebant, qui boni cognitionem virtutem esse statuisset. Itaque aequo studio et cogitandi disputandique rationem mutare, et vivendi modum reformare conatus est.

Praeter eas agendi rationes tertiam gravissimam invenimus, eamque in obedientia legum, quamvis rectae non essent, aliorumque societatis fundamentorum observantia positam. Nimirum tanta illa aetate omnium rerum fluctuatio perturbatioque erat, ut Socrates, quaecunque firma erant, ne dilaberentur, omnibus viribus sustineret.

Jam vero his praemissis, quid ille de natura Deorum senserit videamus. Num Dii essent Socrates nunquam dubitavit, nec populares, quotcunque erant, rejecit. Plurimis enim locis, quos enumerare supervacaneum est, et apud Xenophontem et apud Platonem, de Diis loquitur. Ne solem quidem nec ventum aut fulmen, Deorum ministros, sustulit[1]). Quae ejus opinio quam sincera fuerit, illa Platonis narratio eum jam morientem frigentemque Aesculapio se gallum debere recordatum esse, enucleate comprobat[2]). Sed ut Graeci jam Homeri aetate inter Deos unum primum omnium esse putaverunt, ita etiam Socrates unum summum Deum, qui universum mundum gubernet regatque, resque maximas effecerit, condonetque omnibus bonis

---

[1]) Platon. Sympos. 220 D: ἔπειτα ᾤχετ' (scil. Σωκράτης) ἀπιὼν προσευξάμενος τῷ ἡλίῳ.

Memorab. IV. 3. 14: καὶ τοὺς ὑπηρέτας δὲ τῶν θεῶν εὑρήσεις ἀφανεῖς ὄντας· κεραυνός τε γὰρ ..... · καὶ ἄνεμοι.

[2]) Phaedo 118.

homines, aliis inferioribus opponit[1]). Attamen inter veteres, qui summum Deum acceperunt, et inter Socratem id multum interest, quod ille nullum certum Deum ut Jovem, Saturnium, aliumve summum esse censuit, sed Deum in universum. Atque omnino Socrates rarissimo de certis Diis loquitur. Ita e. g., Deorum bonitatem praedicans, opera eorum non secrevit, sed, quae vulgus singulis tribuebat, ad Deos generatim retulit[2]). Deinde, daemonium commemorans, nusquam aliquem Deum nominavit[3]). — Quin tum etiam, quum aliquid certo Deo re tribuit, progrediente oratione tam universe de eo loquitur, quamsi de nullo certo Deo cogitet. Ita, quamquam oraculum se esse sapientissimum ab Apolline profectum esse ipse dixit[4]), tamen in iis, quae de hoc protulit, saepe Deum (θεόν) nunquam Apollinem commemoravit. Quae generalis de Diis locutio eo processit, ut Deos rationem per universum pertinentem appellaret[5]). Sed quamquam ea singulorum Deorum ne-

---

[1]) Memorab. IV. 3. 13: Ἐννόει δὲ ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ θεοὶ οὕτως ὑποδεικνύουσιν· οἵ τε γὰρ ἄλλοι ἡμῖν τἀγαθὰ διδόντες ... καὶ ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων κ. τ. λ.

[2]) Mem. I. 4.

[3]) Cf. p. dissertationis 13 sqq.

[4]) Apologia Plat. 21 sqq.

[5]) Memorab. I. 4. 17 sqq. Quem locum Zellerus (l. l. II p. 118) et Volquardsenus (Das Daemonium des Socrates. Kiel 1862, p. 19) ad illum summum Deum retulerunt. Eum tamen non ad illum summum Deum, sed ad omnes Deos referendum esse id primum docet, quod et in praecedentibus et in subsequentibus de Diis generatim disputatur, neque ille summus commemoratur. Tum ita esse e sententiarum nexu colligi potest. Hoc enim loco illa ratio per universum pertinens menti humanae opponitur, et quidem eo consilio, ut huic similem facultatem tribuendam esse

glectio quaedam et, ut ita dicam, a singulis abstractio a vulgi opinione sine dubio abhorruit, primusque philosophi gradus fuit ad constituendam Dei simplicitatem, is tamen erraret, qui ex his Socratem unum verum Deum statuisse, ita ut populares illius summi formae tantum aut ministri essent, colligere vellet. Nam et ejus sincerus Deorum popularium cultus, et Deus unus, aliis dilucide oppositus, conjecturae repugnarent. Qualis autem inferiorum Deorum cum illo summo ejusque natura conjunctio fuerit, et qualis eorum differentia, nisi nostram pro Socratica explicationem proferamus, nihil certi statui potest. Unicus enim locus[1]), quo illum summum Deum certo induxerit, perpauca nobis suggerit. Id tamen certum esse videtur majorem ei vim ac potestatem, quam ceteris a Socrate tributum esse. Rectorem enim mundi appellat eum, et bona, quae ille hominibus impertiat, deleri posse vel unquam senescere negat. Quae potentiae circumscriptio quam incerta fuerit e Memor. lib. I c. 4 § 13 colligi potest. Quamquam enim hic animae donum Deo »τῷ θεῷ« tribuitur, ita ut ille summus, praesertim quum anima in iis, quae nunquam deleri possint, sine dubio ponenda sit, commemorari videatur, tamen, si locum cum praecedentibus contulerimus, τῷ θεῷ pro τοῖς θεοῖς dictum esse apparebit. Nam, quae hic ad unum Deum refertur corporis constructio, paulo ante Deorum beneficium prae-

---

demonstretur, quam illa habet. Haec autem eadem facultas in iis, quae sequuntur, enucleate Diis tribuitur. Nam θεῖον idem esse atque θεοὺς, qui locum legerit intelliget.

[1]) Memorab. IV. 3. 13: καὶ ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων . . . καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε καὶ ὑγιᾶ καὶ ἀγήρατα παρέχων κ. τ. λ.

dicata est. Itaque ne hoc loco quidem Deorum opera distingui statuendum nobis erit.

Nec vero ea, quae Plato Socratem disputantem fecit, rem ullo modo explicant. Quod enim in Phaedro[1]) de existentia sine figura, sine colore, vere existente, eaque Diis popularibus superiore, a Socrate dictum est, id quum Platonis doctrinam resipit[2]), tum more poëtarum per imagines quasdam ita exprimitur, ut nihil aliud quam Socratem praeter Deos populares aliquod numen supremum statuisse ex eo colligi possit. In hoc igitur acquiescendum nobis erit a Socrate summum Deum, universi administratorem, constitutum esse, cui qualis cum ceteris ratio intercesserit non liquet, nisi majorem eum vim habere quam ceteros. Natura autem etiam illi praestantissima sunt. Omnes enim Dii corporibus vacant iidemque invisibiles sunt. Memor. IV. 3. 13: Ὅτι δέ γε ἀληθῆ λέγω, καὶ σὺ γνώσῃ, ἂν μὴ ἀναμένῃς, ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς, ἀλλ' ἐξαρκῇ σοι τὰ ἔργα αὐτῶν ὁρῶντι σέβεσθαι καὶ τιμᾶν τοὺς θεούς. Ne solem quidem, quamvis oculis percipi videatur, vere percipi, nec ventum aut fulmen, Deorum ministros[3]), addit Socrates. Qui vero corporibus vacant, iidem nihil desiderant. Mem. I. 6. 10: ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι. Itaque Deos neque ira inflammari, neque mendaciis disci-

---

[1]) Phaedr. p. 247 C: ἡ γὰρ ἀχρώματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀναφὴς οὐσία ὄντως ψυχῆς οὖσα κυβερνήτῃ μόνῳ θεατὴ νῷ· περὶ ἣν τὸ τῆς ἀληθοῦς ἐπιστήμης γένος τοῦτον ἔχει τὴν τόπον.

[2]) Nam quis illam accuratam Deorum vitae descriptionem, quae hoc loco invenitur, ad Socratem referret, qui de divinis, nisi ut hominum mores emendaret, non loqueretur?

[3]) Memor. IV. 3. 14.

diisque dilacerari, neque hominum formas induere posse perspicuum est[1]).

Sed Deos, corporibus vacantes, limites, qui tempore et spatio constituantur, egredi quid est verisimilius? Itaque Dii ubique praesentes sunt. Mem. I. 1. 19. Σωκράτης δὲ ἡγεῖτο θεοὺς πανταχοῦ παρεῖναι, cf. Mem. I. 4. 17; omnia sciunt, quae ubivis terrarum fiant, inque mentes hominum vel intimas introspiciunt (Mem. I. 1. 19 τὰ σιγῇ βουλευόμενα), ac quae futura sint provident (Mem. IV. 3. 12: τὰ ἀποβησόμενα). Eodem tempore omnia intuentur. Mem. I. 4. 17: Οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα, ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ῇ, οὕτω τίθεσθαι, καὶ μὴ τό σὸν μὲν ὄμμα δύνασθαι ἐπὶ πολλὰ στάδια ἐξικνεῖσθαι, τὸν δὲ τοῦ θεοῦ ὀφθαλμὸν ἀδύνατον εἶναι ἅμα πάντα ὁρᾶν κ. τ. λ. — Iidem justi sunt, qui et probos favore amplectantur, et impios poena afficiant. Memor. II. 2. 14. Σὺ οὖν, ὦ παῖ, ἂν σωφρονῇς, τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήσῃ

---

[1]) Plato De Republica 377 E sqq. Euthyphro 6 B. Quae fabularum emendatio etsi e Socratis doctrina necessario sequi videtur, et a Platone dilucide ei tribuitur, tamen a Xenophonte ne uno quidem verbo attingitur. Num igitur eam a Socrate abjudicabimus? Minime vero. Nam quamquam miramur Xenophontem, virum omnia ad vitae institutionem conferentem, mentionem de re, tam ad usum apta, nullam fecisse, tamen enodato testimonio Platonis, qui Socratem aegre tulisse, quotiescunque quis talia de Diis diceret, tradidit (Euthyphro 6), eam opinionis vulgaris purgationem illi ascribere cogimur. Nullo enim modo Xenophontis auctoritas tanti aestimari potest, ut vel ea, quae Plato hoc modo idque genus tradidit, quippe quae ab illo non commemorata sint, rejiciamus. Sed hoc loco Xenophontis silentium haud scio an eo explicari possit, quod criminationem novae religionis a Socrate repulsurus, quae quodammodo eam comprobare viderentur afferre noluit.

συγγνώμονάς σοι εἶναι, εἴ τι παρημέληκας τῆς μητρὸς, μή σε καὶ οὗτοι νομίσαντες ἀχάριστον εἶναι οὐκ ἐθέλωσιν εὖ ποιεῖν[1]). Et si qui vir justus sive paupertati sive morbis obnoxius fuerit, fore ut ei haec conducant existimandum est[2]). — Itemque Dii benigni sunt magnamque rerum humanarum habent procurationem. Etenim quum jam providentiae divinae notio quaedam, a natura hominibus insita, tum summus, qui est in universo ordo omniumque rerum utilitas, num hominibus a Diis provideatur, dubitare non sinunt. Quid? Nonne illi corpora hominum effecerunt effecta que oculis, auribus, lingua, aliisque sensuum instrumentis, iisque quam optime constructis, adornaverunt[3])? Nonne Dii vitae amorem, timorem mortis, hominibus inseverunt animaque condonaverunt eos praestantissima?[4]) Nonne denique omnia quae sunt, et lux, et aqua, et sidera, et animantes omnes hominum causa a Diis effecta et ita constituta sunt, ut iis quam maximae utilitati essent?[5])

Ne venientia quidem homines Deorum gratia latent, quippe quae vel portentis, vel vaticiniis, si quidem Diis

---

[1]) Cf. Memor. IV. 3. 17. — Theaet. 176 C: θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος κ. τ. λ. — De Republ. 612 E.

[2]) De Republ. 613: Οὕτως ἄρα ὑποληπτέον ... ἐάν τ'ἐν πενίᾳ γίγνηται (scil. ὁ δίκαιος) .. ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει κ. τ. λ.

[3]) Memor. I. 4. 5 sqq. Οὐκοῦν δοκεῖ σοι ὁ ἐξ ἀρχῆς ποιῶν ἀνθρώπους ἐπ'ὠφελείᾳ προσθεῖναι αὐτοῖς δι' ὧν αἰσθάνονται ἕκαστα, ὀφθαλμούς κ. τ. λ.

[4]) Ibid. I. 4. 7. Τὸ δὲ ἐμφῦσαι μὲν ἔρωτα τῆς τεκνοποιίας, ἐμφῦσαι δὲ ταῖς γειναμέναις ἔρωτα τοῦ ἐκτρέφειν, τοῖς δὲ τραφεῖσι μέγιστον μὲν πόθον τοῦ ζῆν κ. τ. λ.

[5]) Ibid. IV. 3. 8 sqq.

freti oracula consulant, comperire possint[1]). Etiam nullis signis adhibitis, Dii benigni, quid faciendum quidve vitandum sit dubitantem consilio suo adjuvant, dummodo is mente pura, integra, pia eos veneretur, et qui instinctum intelligat idoneus sit[2]).

Sed praeter eam naturalem res futuras cognoscendi, qua homines praediti essent, facultatem, aliud insuper divinationis genus, quodvulgo daemonium appellatur, induxit, de quo, quum gravissimum sit, copiosius disputare liceat. Jam nolim omnes, qui daemonium explicaverunt, eorumque opiniones enumerare, quum, quae jam alii fecerant repetere, supervacaneum sit[3]); tamen, ut opiniones meas ex aliorum sententiis nexas proferam, eas saltem, quae familias ducunt, breviter perstringam. Neoplatonici igitur aliique, qui eos secuti erant, daemonium verum genium fuisse contenderunt[4]). Inter recentiores autem viros doctos Lasaulx[5]) Deum potius, qui cum Socrate minus quidem arcte nec tam substantialiter, simili tamen modo, quo Legos cum humana Christi natura, conjunctus esset,

---

[1]) Ibid. I. 4. 15. IV. 3. 12. Τὸ δὲ καὶ, εἰ ἀδυνατοῦμεν τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι ὑπὲρ τῶν μελλόντων, ταύτῃ αὐτοὺς ἡμῖν συνεργεῖν, διὰ μαντικῆς τοῖς πυνθανομένοις φράζοντας τὰ ἀποβησόμενα κ. τ. λ.

[2]) Mem. IV. 7. 10: Εἰ δέ τις μᾶλλον ἤ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν ὠφελεῖσθαι βούλοιτο, συνεβούλευε μαντικῆς ἐπιμελεῖσθαι· τὸν γὰρ εἰδότα, δι' ὧν οἱ θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν πραγμάτων σημαίνουσιν, οὐδέποτ' ἔρημον ἔφη γίγνεσθαι συμβουλῆς θεῶν.

[3]) Brucker: Hist. philos. critic. p. 543—549, Volquardsen: Das Daemonium des Socrates, p. 35 sqq.

[4]) Cf. Bruckerum et Volquardsenium.

[5]) Lasaulx. Des Socrates Leben, Lehre und Tod, p. 35 100. München 1858.

daemonium haberi voluit. Volquardseno[1]) quidem Socrates vero quodam divino afflatu, qui tamen, nec ad Apollinem, nec ad alium Deum popularem, sed ad illum summum referendus sit, usus esse videtur. Ex contrario Schleiermacherus[2]), Hegelius[3]), Hermannus[4]), Brandisius[5]), Zellerus[6]) in hoc consentiunt daemonium nihil divini fuisse, sed naturalem quendam animi habitum; dissentiunt tamen in describenda nominandaque illius habitus natura. Etenim vel in acumine ingenii[7]), vel in habitu somnabulismo[8]) simili, vel in conscientiae effectu[9]) daemonium posuerunt, vel illud denique normam quandam animi, vita et consideratione, quid sibi accomodatum esset, perpolitam, quam Socrates more aetatis suae ad Deum retulisset, fuisse putaverunt[10]). At mihi quidem, antequam, quid daemonium vere fuerit inquiram, quid Socrates de eo senserit enarrandum esse videtur.

Atque primum, quin Socrates illam divinationem ad Deum revocaverit, dubitari non potest. Divinum enim signum[11]), vel universe divinum[12]) eam appellabat multisque locis ad Deum referebat. Verum ad quem Deum, utrum

---

[1]) l. 1, p. 19, 71.

[2]) Geschichte d. Philos. Berlin 1839, p. 85.

[3]) Geschichte d. Philos. II, p. 100.

[4]) l. 1, p. 236.

[5]) Gesch. d. Philos. II, 59—62.

[6]) l. 1, p. 68.

[7]) Schleiermacher.

[8]) Hegel.

[9]) Brandis.

[10]) Hermann et Zeller.

[11]) τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον Apol. Plat. 40. 13.

[12]) Plat. Apol. 31: ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται.

ad illum summum, an ad inferiorem quendam referenda sit, non constat. Etenim Xenophon, modo ad Deum[1]), modo ad Deos[2]), eam revocans, rem plane in suspenso reliquit, nisi forte ex ea incerta de re narratione id colligi potest Socratem certo Deo nulli eam tribuisse. Neque Plato, qui eodem incerto modo[3]) de daemonii fonte loquitur, dubitationem tollit.

---

[1]) Memor. I. 1. 4, 5, ubi ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος idem est atque ὡς ὑπὸ θεοῦ φαινόμενα.

[2]) Memor. I. 1. 3, 4, ubi: τοὺς θεοὺς σημαίνειν idem est atque τὸ δαιμόνιον σημαίνειν.

[3]) Euthydem. 272 E: κατὰ θεὸν γάρ τινα ἔτυχον καθήμενος..... ἀνισταμένου δέ μοι ἐγένετο τὸ εἰωθὸς σημεῖον τὸ δαιμόνιον. Itaque τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, quod in Apologia Platonis p. 40, 13 invenitur, nullum certum Deum, neque ideo illum summum indicare potest. Quem autem Volquardsenus (p. 13 sqq.) ad daemonium retulit locum, ex quo Deum illum summum daemonii fontem fuisse collegit, eum omnino huc pertinere negare ausim. Locum dico Apologiae p. 33 C, quo Socrates a Diis praeceptum sibi esse commemoravit, ut homines, qui sapientes se esse, quum non essent, existimarent, redargueret. Namque primum Deus hujus loci nullus alius est quam ille Delphicus. Ille enim Chaerephonti, num quis Socrate sapientior esset interroganti, neminem esse respondit (Apol. 21). Itaque Socrates, qui se sapientem non esse bene noverat, Deum tamen falli non posse crediderat, ut quid Deus hoc vaticinio sibi indicari vellet videret, apud plerosque, qui se sapientes esse existimaverunt, circumivit, quaesivitque, num ita esset. Brevi tamen illos sapientes homines nihil scire intellexit; itaque se, qui id unum saltem se nescire, sciret, sapientissimum esse cognovit. Deum vero illo vaticinio nihil aliud voluisse, quam ut ipse in redarguendis hominibus vitae conditionem poneret, pro certo habuit. — Huc accedit, quod Socrates, hoc loco vaticinia, somnia, generatim alios, quo quisque sortem divinam comperiat, modos enumerans,

Sed daemonium Socrati jam puero apparuit[1]) et quidem ita, ut aut vocem quandam audire videretur, aut signum ei quoddam fieret. Quae omnes daemonii rationes[2]) animum solum tetigisse, nec sensibus subjectas esse e tota ejus natura enucleataque vaticiniis oppositione apparet. Ita Socrates Euthydemo[3]), animadvertenti Deos ei benigniores esse videri, quum, ne interrogati quidem, quid faciendum quidve vitandum sit indicent, respondet id et ipsum intellecturum esse, si Deos veritus eorum formas, quibus vacaverint, non quaesiverit. Ex quo, praesertim quum in iis, quae sequuntur, de Diis in agendo invisibilibus sit, colligi potest Socratem vim sibi propriam signis corporeis nullis uti judicasse. — Eodem loco Kühner[4]) opinionem suam daemonium Socrati cum ceteris hominibus communem fuisse comprobatam esse censet. Quae opinio recta esset, si quidem Kühner his verbis etiam alios homines singulos illo benificio a Diis condonari posse statuere vellet. Attamen is omnino humanae naturae

---

daemonium non commemorat, neque ideo de ejus fonte omnino loqui potuit. Namque vaticinia, quamvis daemonium esse possint, tamen, ut necessario sint, nihil cogit; somnia autem propter notionis discrimen, illasque generatim allatas divinationis rationes ob id ipsum, quod generatim afferuntur, daemonium, quod nusquam ita commemoratur, significare pernego.

[1]) Platon. Apolog. 31 D: ἐμοὶ δὲ τοῦτ' ἐστὶν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον φωνή τις γιγνομένη κ. τ. λ.

[2]) Phaedr. 242 BC: Ἡνίκ' ἔμελλον, ὦ'γαθέ, τὸν ποταμὸν διαβαίνειν, τὸ δαιμόνιόν τε καὶ εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο .... καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι κ. τ. λ. Apol. Plat. 41 D: διὰ τοῦτο καὶ ἐμὲ οὐδαμοῦ ἀπέτρεψε τὸ σημεῖον κ. τ. λ. cf. Euthyd 272 E a. 1.

[3]) Memorab. IV. 3. 12.

[4]) Prolegomena in Xenophontis commentarios p. 25.

daemonium tribuit, ita ut omnes eo uti possent, si quidem ejus vim, sensibus non subjectam, agnoscerent. In quo vir doctissimus cum aliis erravit, quia vaticinationem, ad animum solum pertinentem, qua etiam alii praediti sunt, a daemonio non distinxit. Loco autem, quem attulit, opinionem eam non comprobari, si rationem ejus cum praecedentibus et sequentibus diligentius explicaverimus, videbimus. Sententiarum enim nexus hic est. Socrates procurationem, quam Dii rerum humanarum habeant, ex iis, quibus homines fruantur, beneficiis colligere studet. Idem ait e divinatione, quam Dii hominibus dederint, patere. Tum vero Euthydemo in animum incidit Socratem peculiari quodam divinationis genere praeditum esse, quippe cui Dii, ne interrogati quidem, quid facere deberet nuntiarent. Suspicatur autem Euthydemus, quod voce »ἐοίκασιν« indicat, illam divinationem Socraticam, oraculorum forma carentem, hallucinationem esse. Ita enim is, qui Deorum vim nisi manifestam non agnosceret, judicaret necesse erat. Qui vero ea quoque, quae oculis non percipiat, re esse crediderit, Deorumque cultu et operum divinorum contemplatione animum ad intelligenda ea, quae ad sensus non pertineant, formaverit, ei haec Deorum cum homine communicatio incredibilis esse non videbitur. Itaque Socrates respondit Euthydemo. Ὅτι δέ γε ἀληθῆ λέγω, καὶ σὺ γνώσῃ, ἂν μὴ ἀναμένῃς, ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς, ἀλλ' ἐξαρκῇ σοι τὰ ἔργα αὐτῶν ὁρῶντι σέβεσθαι καὶ τιμᾶν τοὶς θεούς[2]. Euthydemus igitur,

---

[1]) Memorab. IV. 3. 13.

[2]) »Nam omnino Dii in agendo oculis videri non possunt.« Hoc est eorum, quae sequuntur, argumentum. Ita locus, qui interpretibus magnas attulit molestias, optime cum praecedentibus et sequentibus cohaeret. Quod vero Kühnerus p. 443 profert,

si quae Socrates ab eo postulat effecerit, *intelliget* quidem daemonium non esse ementitum, sed ipsum daemonii *participem fore* nihil indicat. Accedit huc, quod Socrates, amicos, ut a Diis peterent consilia, adhortans, nusquam ad daemonium, sed aut ad vaticinia, aut ad suam quemque divinationem refugere jussit. Perspicue denique daemonium aliis vaticinationis rationibus opponitur. Cf. Memor. I. 4. 15, ubi Socrates Aristodemum interrogat, quid Dii facere debeant, ut curam, quam adhibeant hominibus, agnoscat. Ὅταν πέμπωσιν respondet hic, ὥσπερ σὺ σοὶ φῂς πέμπειν αὐτούς, συμβούλους, ὅ τι χρὴ ποιεῖν καὶ μὴ ποιεῖν.« Tum Socrates: Ὅταν δὲ Ἀθηναίοις πυνθανομένοις τι διὰ μαντικῆς φράζωσιν, οὐ καὶ σοὶ δοκεῖς φράζειν αὐτοὺς, οὐδ' ὅταν τοῖς Ἕλλησι τέρατα πέμποντες προσημαίνωσιν, οὐδ' ὅταν πᾶσιν ἀνθρώποις;

Itemque a Platone Socrates solus daemonii beneficio fruens inducitur. Daemonium enim a Socrate »ἡ εἰωθυῖά μοι μαντική (Apol. 40), τὸ γιγνόμενόν μοι δαιμόνιον (Theaet. 151) appellatur. Neque vero locus e Republ. 496 C[1]) ullam rei dubitationem affert, immo comprobat eam. Nulla enim alia re impedimenta, quae a rebus publicis avocant, favent autem philosophiae, enarrans, quominus daemonium impedimentorum unum diligentius explicaret prohibitus est,

---

»Socratem, Euthydemi verba arripientem, demonstrare studere illud δαιμόνιον non sibi soli, tanquam proprium quoddam beneficium, a Diis tributum, sed commune sibi cum ceteris hominibus« minus rectum mihi esse videtur etiam ob eam causam, quod ita digressio quaedam a proposito statuitur sententiaeque minus arcte cohaerent.

[1]) τὸ δ'ἡμέτερον οὐκ ἄξιον λέγειν τὸ δαιμόνιον σημεῖον· ἢ γάρ πού τινι ἄλλῳ ἢ οὐδενὶ τῶν ἔμπροσθεν γέγονε.

quam quod illud singulare sibique proprium Deorum donum in numero causarum, naturae humanae inhaerentium, ponere non potuit.

Sed jam his explicatis, quid nobis de daemonio agente traditum sit, videamus. Atque primum Xenophon, daemonium Socratis cum vaticinatione populari conferens, (quod quidem fecit, ut Socratem nihil novi in religionem intulisse ostenderet) eandem huic atque illi vim in dubiis conditionibus praesignificandi, quid faciendum, quidve fugiendum sit, attribuit[1]). Plato autem eam duplicem, in adhortando dehortandoque positam, rationem perspicuis verbis non agnovit[2]). Quam dissensionem jam Tennemannus[3]) ita explicat, ut Xenophontem ea, quae Socrates e silentio daemonii concludebat, pro daemonii adhortantis effectu habuisse putet. Verum ea explicatio, in qua alii quoque acquieverunt, mihi quidem rem expedire non videtur. Non solum enim in eo, quod Tennemannus attigit, alter scriptor ab altero discrepat, sed omnino in definienda vi daemonii. Xenophon enim daemonium, tanquam oracula, etiam futura, eaque imprimis, Socrati nuntiavisse accepit. Itaque daemonium apud eum προσημαίνει τό μέλλον, Socrates autem προαγορεύει πολλοῖς τῶν ξυνόντων τά μὲν ποιεῖν τὰ δὲ μὴ ποιεῖν[4]), nec unquam mendax apparuit[5]). Dubitari igitur

---

[1]) Memor. IV. 8. 1: Εἰ δέ τις, ὅτι φάσκοντος αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον ἑαυτῷ προσημαίνειν, ἅ τε δέοι καὶ ἃ μὴ δέοι ποιεῖν, ὑπὸ τῶν δικαστῶν κατεγνώσθη θάνατος κ. τ. λ. cf. Ibid. IV. 3. 12. I. 1. 4.

[2]) Apol. 31 D. .. φωνή τις γιγνομένη, ἣ ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε.

[3]) Geschichte der Philos. II. p. 33.

[4]) Memor. I. 1. 4.

[5]) Memor. I. 1. 5: καίτοι τίς οὐκ ἂν ὁμολογήσειεν αὐτὸν βούλεσθαι

non potest, quin Xenophon scientiam eorum quoque, quae futura sint, ad daemonium referat. Plato autem daemonii vim in dehortationem a quibusvis turpibus facinoribus, saepe perexiguis, conclusit, nec unquam Socratem aliis, quasi a daemonio sibi subjecta essent, consilia afferentem fecit. —

Sed uter eorum veram Socratis doctrinam nobis prodidit? Equidem Platoni majorem in hac re quam Xenophonti auctoritatem tribuere non dubito. Nam, si, quae Xenophon tradidit, vera essent daemoniumque et Socrati, et per illum aliis, quae futura essent, praediceret, quid oracula sibi vellent, quae Socrates amicos de incertis consulere jubebat[1])? Num certa tantum daemonio adjuvante praedicebat? At in quo tum daemonii vis cerneretur? Quid? Cur Xenophon nullum consilii talis exemplum tradidit? Quamobrem neminem me temeritatis accusatarum spero, si Xenophontem in definienda vi daemonii erravisse statuero, daemoniumque cum Platone pro vi aliqua, a turpibus facinoribus dehortante, habuero.

Quid autem illa facinora, illud μὴ ὀρθόν sit, e singulis daemonii agentis exemplis colligendum nobis erit. Prohibuit igitur daemonium, quominus Socrates ad rem gerendam accederet, ut videlicet philosophiae, a Deo Delphico ipsi commendatae, totum se daret. Periturum enim se brevi tempore fuisse censet, si in republica versatus esset, nec

---

μήτ' ἠλίθιον μήτ' ἀλαζόνα φαίνεσθαι τοῖς συνοῦσιν; Ἐδόκει δ' ἂν ἀμφότερα ταῦτα, εἰ προαγορεύων ὡς ὑπὸ θεοῦ φαινόμενα κᾆτα ψευδόμενος ἐφαίνετο. cf. Apol. Xenoph. 13.

[1]) Mem. I. 1. 6: τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα συνεβούλευε καὶ πράττειν ...· περὶ δὲ τῶν ἀδήλων, ὅπως ἂν ἀποβήσοιτο, μαντευσομένους ἔπεμπεν, εἰ ποιητέα.

Atheniensibus se ulla re profuturum[1]). Alterum daemonii prohibentis exemplum in Euthydemo p. 282 E invenio. Κατὰ θεὸν γάρ τινα ἔτυχον καθήμενος ἐνταῦθα, οὗπερ σύ με εἶδες, ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ μόνος, καὶ ἤδη ἐν νῷ εἶχον ἀναστῆναι· ἀνισταμένου δέ μου ἐγένετο τό εἰωθὸς σημεῖον τό δαιμόνιον. Πάλιν οὖν ἐκαθεζόμην καὶ ὀλίγῳ ὕστερον εἰσέρχεσθον τούτω, ὅ τ' Εὐθύδημος καὶ ὁ Διονυσόδωρος, καὶ ἄλλοι μαθηταὶ ἅμα οὐ πολλοὶ ἐμοὶ δοκεῖν. Ex iis vero, quae sequuntur, Euthydemum Dionysodorumque e numero eorum esse comperimus, qui, quamvis non sint, se esse tamen sapientes praedicent. Socrates igitur, ut ei a Deo imperatum erat, eos nihil scire interrogando ostendere studet. Hoc igitur loco daemonium, quominus occasionem explendi magistri muneris perderet, quod esset μὴ ὀρθῶς factum, eum prohibuit. Idem munus ea, quae in Theaeteto tradita sunt, respiciunt. 'Ενίοις μὲν ait Socrates, τὸ γίγνομενόν μοι δαιμόνιον ἀποκωλύει ξυνεῖναι, ἐνίοις δὲ ἐᾷ κ. τ. λ. Cur autem daemonium aliter in alios se gesserit ipse paulo post explicat. 'Ενίοτε δὲ ὦ Θεαίτητε, οἵ ἄν μοι μὴ δόξωσί πως ἐγκύμονες εἶναι, γνοὺς ὅτι οὐδὲν ἐμοῦ δέονται, πάνυ εὐμενῶς προμνῶμαι καὶ, ξὺν θεῷ εἰπεῖν, πάνυ ἱκανῶς τοπάζω, οἷς ἂν ξυγγενόμενοι ὄναιντο κ. τ. λ[2]). Quibus igitur philosophandi ingenium deest, illudque investigandi studium, quod nunquam acquiescit, sed semper aliquid quaerit examinatque, eos aliam quandam artem edocendos Prodico aliisve tradidit, ne operam perderet et tempus, quod in aliis, iisque ad philosophan-

[1]) Apol. Pl. 31 D: τοῦτ' ἔστιν (sc. τὸ δαιμόνιον) ὅ μοι ἐναντιοῦται τὰ πολιτικὰ πράττειν. ... εὖ γὰρ ἴστε, ὦ ἄνδρες 'Αθηναῖοι, εἰ ἐγὼ πάλαι ἐπεχείρησα πράττειν τὰ πολιτικὰ πράγματα, πάλαι ἂν ἀπολώλη καὶ οὔτ' ἂν ὑμᾶς ὠφελήκη οὐδὲν οὔτ' ἂν ἐμαυτόν.

[2]) Theaet. 151 — C.

dum idoneis, excolendis consumere posset. Eadem de causa, ne cum Alcibiade colloqueretur, cui, fastu intumenti, nihil se profuturum fuisse satis intellexit, daemonium prohibuisse videtur[1]).

Sed Socrates divinae illius vocis vim et auctoritatem non solum loquentis, verum etiam silentis agnoscebat, silentiumque pro assensu habebat. Itaque mortem, quam obiturus erat, bonum esse censuit, quippe quum ea conditione vivere, ut juventutem docere desisteret, turpe esset. 'Εμοὶ γὰρ, narrat Socrates in Apologia p. 40, ὦ ἄνδρες δικασταί, θαυμάσιόν τι γέγονεν. ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν· νυνὶ δὲ ξυμβέβηκέ μοι ἅπερ ὁρᾶτε καὶ αὐτοί, ταυτὶ ἅ γε δὴ οἰηθείη ἄν τις καὶ νομίζεται ἔσχατα κακῶν εἶναι, ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτ' ἐν τῷ λόγῳ οὐδαμοῦ μέλλοντί τι ἐρεῖν .... τί οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ· κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι κ. τ. λ. Cf. Apol. 29 C, D[2]).

---

[1]) Alcibiad. I, p. 103: Ὦ παῖ Κλεινίου, οἶμαί σε θαυμάζειν, ὅτι πρῶτος ἐραστής σου γενόμενος τῶν ἄλλων πεπαυμένων μόνος οὐκ ἀπαλλάττομαι, καὶ ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι δι' ὄχλου ἐγένοντό σοι διαλεγόμενοι, ἐγὼ δὲ τοσούτων ἐτῶν οὐδὲ προσεῖπον. τούτου δὲ τὸ αἴτιον γέγονεν οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλά τὸ δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει· cf. 104.

[2]) Exemplum daemonii, quod in Phaedro, p. 242 C narratur, ea de causa afferre omisi, quod Socrates hoc loco in eo, quod ipse voluit, daemonii consilium per jocum simulasse mihi videtur. Nam quid quaeso daemonium sibi vult, quippe quod jam post ocmmissum facinus (τὸ ἁμάρτημα) apparuerit? Quod enim jam

Sed unicum[1]), quod Xenophon daemonii dehortantis attulit exemplum, minus recte ab eo narratum esse censeo. Narrat enim Xenophon Socratem, ne defensionem, quam jam sibi paraturus esset, curaret a daemonio impeditum esse. Mem. IV. 8. 5: Ἀλλὰ νὴ τὸν Δία ὦ Ἑρμόγενες, ἤδη μου ἐπιχειροῦντος φροντίσαι τῆς πρὸς τοὺς δικαστὰς ἀπολογίας ἠναντιώθη τὸ δαιμόνιον. Causas, cur daemonium id prohibuerit, paulo post affert[2]). Θαυμάζεις (ὦ Ἑρμόγενες) εἰ τῷ θεῷ δοκεῖ βέλτιον εἶναι ἐμὲ τελευτᾶν τὸν βίον ἤδη; οὐκ οἶσθ' ὅτι μέχρι μὲν τοῦδε τοῦ χρόνου ἐγὼ οὐδενὶ ἀνθρώπων ὑφείμην ἂν οὔτε βέλτιον οὔθ' ἥδιον ἐμοῦ βεβιωκέναι; .... Εἰ δὲ βιώσομαι πλείω χρόνον, ἴσως ἀναγκαῖον ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἐπιτελεῖσθαι καὶ ὁρᾶν τε καὶ ἀκούειν ἧττον καὶ διανοεῖσθαι χεῖρον καὶ δυσμαθέστερον καὶ ἐπιλησ-

---

loquens commotus erat quodammodo, timuitque, ne quid delinqueret, naturali ipse divinationi attribuit. ὡς δή τοι, ὦ ἑταῖρε, μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή· ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι καὶ πάλαι λέγοντα τὸν λόγον, καί πως ἐδυσωπούμην κατ' Ἴβυκον, μή τι παρὰ θεοῖς ἀμβλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω. Tum vero daemonium, quod, nisi dehortans, a Platone non inducebatur, hoc loco, ut impie commissum facinus expiaret, eum admonuit. .. καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι, ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον. Ab illo assensu autem, quem Socrates e silentio daemonii collegisse videtur, quodque unicum genus daemonii adhortantis apud Platonem est, illud expiandi facinoris consilium plane differre perspicuum est.

[1]) Affert quidem Xenophon alterum daemonii agentis exemplum in Convivio VIII. 5., sed de eo, quum non satis accurate traditum sit, disputare nolim. Commemorat enim loco allato Xenophon, Socratem a daemonio, ne cum Antisthene, qui ab eo amari voluit, colloqueretur impeditum esse; at qua de causa impeditus sit, non tradit.

[2]) Ibidem 6, 8. cf. Apol. Xenoph. 5 — 7.

μονέστερον ἀποβαίνειν καὶ ὧν πρότερον βελτίων ἦν, τούτων χείρω γίγνεσθαι κ. τ. λ. Quae narratio nullo modo recta esse potest. Nam primum permirum est Socratem, vel per minimum temporis punctum, haesitasse, num defensionem, homine libero omnino indignam, quam ipse ἀνελεύθερόν τι (Apol. Pl. 38 E.) appellavit, institueret, et daemonio, ut ab ea avocaretur, opus fuisse. Tum vero narratio haec a Platonis traditione plane discrepat[1]). Nam Plato daemonium quidem, ut jam vidimus, silentio mortem, quam Socrates obiturus erat, comprobasse narrat, sed causam, cur defensione tali abstinuerit, in eo ponit, quod Socrati audacia impudentiaque defuerit, nec ille lamentari, nec deflere, nec quidquam se indignum facere aut dicere voluerit, quamvis id solum defendendi genus se liberare posse bene noverit. Dignae certe hae causae sunt, quas Socrates proferat. Itaque Platoni in hac re magis quam Xenophonti confidere non dubitamus, praesertim quum Xenophon haec non ab ipso Socrate, sed ab Hermogene audiverit[2]). Hoc autem modo facile ex eo, quod daemonium Socrati mortem non dissuaserat, Xenophontis narratio exoriri potuit.

Sed jam, singulis exemplis explicatis, universa consideremus. Eo igitur omnia inter se congruunt, quod ad Socratis munus magistri respiciunt, differunt autem a se ea re, quod diversa iis cum illa communi vitae

---

[1]) Apol. 38 D: Ἴσως με οἴεσθε, ὦ ἄνδρες, ἀπορίᾳ λόγων ἑαλωκέναι τοιούτων, οἷς ἂν ὑμᾶς ἔπεισα, εἰ ᾤμην δεῖν ἅπαντα ποιεῖν καὶ λέγειν, ὥστε ἀποφυγεῖν τὴν δίκην. πολλοῦ γε δεῖ. ἀλλ' ἀπορίᾳ μὲν ἑάλωκα, οὐ μέντοι λόγων, ἀλλὰ τόλμης καὶ ἀναισχυντίας καὶ τοῦ ἐθέλειν λέγειν πρὸς ὑμᾶς τοιαῦτα, οἷ' ἂν ὑμῖν ἥδιστ' ἦν ἀκούειν κ. τ. λ.

[2]) Mem. IV. 8. 4: Λέξω δὲ καὶ, ἃ Ἑρμογένους, τοῦ Ἱππονίκου ἤκουσα περὶ αὐτοῦ.

conditione, ratio intercedit. Modo enim, ne Socrates quid tentaret, quod prosperum eventum nullum haberet, ut in Alcibiade et Theaeteto, impedivit, modo ea facere, quibus a vitae consilio explendo removeretur, eum vetuit, ut in Apologia et in Euthydemo, modo silentio certiorem fecit fore ut venientia ejus commodo evenirent. Itaque, si ex his exemplis daemonium describere velimus, vel futurae rei eventus praesentio, vel scientia sit de vitae conditione, in specialem casum accomodata. Hae sunt Socratis de Diis daemonioque opiniones.

Quibus expositis, jam quid de Platone et Xenophonte, earum auctoribus, in universum statuendum sit, videamus. Ante omnia igitur animadvertendum est Platonem, nisi in Apologia, ubi, dialogi forma neglecta, quae a Socrate re dicta erant, historice prosequitur, nusquam historiam Socratis scribere voluisse, sed ubique, ut inter omnes recentiores constat, alia, eaque generalia et philosophica, persecutum esse. Nimirum Plato, ipse philosophus praestantissimus, quamquam magistrum suum pio gratoque animo veneratus est, ingenio tamen praeditus erat sublimiore, quam qui, ad magistrum summa admiratione suspiciens, opiniones Socraticas optimas esse, et ob eam causam sibi quoque et omnibus religiose repetendas tantum esse putaret. Attamen quamquam Socrates apud Platonem persona magis dialogi quam historiae est, is, qui ea de causa illi omnem fidem derogare vellet, magnopere erraret. Plato enim Socrati nullam, opinionibus ejus veris plane contrariam, sententiam ascripsit, libertateque in depingendo Socrate eo tantum modo usus est, ut doctrinam ei magis quidem excultam tribueret, sed Socraticae sapientiae, ut ita dicam, nucleum semper servaret. Ita in iis, quae

Socratem de summo Deo exponentem introduxit[1]); ita quoque in disputatione de Dei bonitate, ubi bonitatis divinae tam subtilem protulit notionem, ut ne significationem quidem, ad popularem sensum accomodatam, notionemque, poenam, qua homines a Diis afficerentur, damno iis esse, admittere vellet[2]). Huc etiam oratio magis accurata, qua Plato Socratem utentem facit pertinet; e. g. in Republ. 379 Deus a Socrate τῷ ὄντι bonus appellatur, quam philosophi vocem re is vix adhiberet, qui orationem multitudinis auribus accomodaret[3]). Sed in iis, quae ad Socratis ingenium pertinebant, eique prae aliis propria erant, Plato accuratum se praebuit auctorem. Ita in daemonio describendo, in quo ei majorem quam Xenophonti auctoritatem tribuimus. —

Longe alia atque Platonicorum librorum Memorabilium Apologiaeque Xenophonteae ratio et consilium est. Xenophon enim, vir omnia ad vitae usum conferens, qui Socratem magis ob morum sanctitatem et perseverantiam, quam ob ingenii acumen summamque in philosophando subtilitatem admiratus est, nihil aliud sibi proposuit, quam ut Socratis opiniones et facinora, quae ei praestantissima videbantur, accurate describeret, posterisque ad imitandum traderet. Itaque Socratem ad historiae fidem informavit, idque tam diligenter et accurate fecit, ut omnes tres de Diis

---

[1]) Cf. p. dissertationis 8.

[2]) De Republ. 380 B: καὶ λεκτέον ὡς ὁ μὲν θεὸς δίκαιά τε καὶ ἀγαθὰ εἰργάζετο, οἱ δὲ ὠνίναντο κολαζόμενοι. Cf. Memorab. I. 4. 16: Οἴει δ'ἂν τοὺς θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις δόξαν ἐμφῦσαι, ὡς ἱκανοί εἰσιν εὖ καὶ κακῶς ποιεῖν, εἰ μὴ δυνατοὶ ἦσαν;

[3]) Apol. Plat. p. 17 C: ἐὰν διὰ τῶν αὐτῶν λόγων ἀκούητέ μου ἀπολογουμένου, δι' ὧνπερ εἴωθα λέγειν καὶ ἐν ἀγορᾷ ἐπὶ τῶν τραπεζῶν, ἵνα ὑμῶν πολλοὶ ἀκηκόασι . . . μήτε θαυμάζειν μήτε θορυβεῖν τούτου ἕνεκα. Cf. Memor. I. 2. 37, IV. 4. 5.

et daemonio Socratis disputationes a declarando[1]), utrum ipse eas audiverit, an ab alio quodam Socratis socio, ordiretur. Auctoritas igitur cap. VIII, libri I et III libri IV. Memorabilium, ubi Xenophon Socratem de Diis disputantem fecit, summa est. Id vero, quod ei a Hermogene de daemonio narratum erat, ut jam supra vidimus, nonnulla falsa continuit. —

Sed ab his locis, ubi Xenophon Socratem ipsum opiniones suas explicantem introduxit, multum ii differunt, in quibus Xenophon eas explicat. Hic enim, sive quod rem non intellexit, sive quod eam ad Socratis defendendi consilium nimis accomodavit, nonnulla minus accurate narravit. Ita, daemonii comparationem cum oraculis nimis urgens, daemonium non solum Socrati, sed etiam per Socratem amicis futura praedicere narrat, et dehortandi adhortandique vim ei attribuit[2]). Eadem igitur, in quibus Plato optimum se nobis praebuit auctorem, Xenophon minus accurate narrat, ita ut, quum vicissim Platonis scripta ad explicandas de Diis opiniones caute et circumspecte adhibenda sint, Xenophontis autem fides in his maxima sit, statuere possimus Xenophontem et Platonem in Socratis de Diis daemonioque opinionibus explicandis alterum alteri subsidium ferre[3])!

---

[1]) Memor. I. 4. 2: Λέξω δὲ πρῶτον ἅ ποτε αὐτοῦ ἤκουσα περὶ τοῦ δαιμονίου διαλεγομένου πρὸς Ἀριστόδημον τὸν Μικρὸν ἐπικαλούμενον.

Mem. IV. 3. 2: Πρῶτον μὲν δὴ περὶ θεοὺς ἐπειρᾶτο σώφρονας ποιεῖν τοὺς συνόντας. Ἄλλοι μὲν οὖν αὐτῷ πρὸς ἄλλους οὕτως ὁμιλοῦντι παραγενόμενοι διηγοῦντο, ἐγὼ δὲ ὅτε πρὸς Εὐθύδημον τοιάδε διελέγετο παρεγενόμην.

[2]) Mem. I. 1. —

[3]) Moneo me in tota hac de Xenophontis et Platonis auctoritate investigatione opiniones tantum de Diis daemonioque respexisse.



THESES.

I. Falsum esse puto, quod Xenophon Mem. IV. 8. 5 de daemonio narravit (cf. Plat. Apol. 40—40 C).


II. Plat. Sympos. 186 E verba: ὡσαύτως δὲ καὶ γυμναστικὴ καὶ γεωργία interpolata esse videntur.

III. Laudes, quibus Horatius Sat. I. 6 patrem extulit, ab amore profectas esse nego.

IV. Hor. Epist. I. 2. v. 52 »podagr*u*m« legendum esse contendo.

VITA.

Natus sum Thomas Bronislaus Cybichowski in Obiezierze, vico M. D. Posnaniensis, die 21 mensis Decembris a. h. s. 44, patre Stanislao matre Constantia, parentibus, quibus vivis adhuc gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis a patre imbutus a. 55 gymnasio Posnaniensi ad S. M. Magdalenam traditus sum, quod tunc Brettnero b. m., nunc Engero rectore floret. A. 63 gymnasium Walczense adii, ubi testimonium maturitatis adeptus sum. Quo instructus Berolinum me contuli litteris antiquis operam daturus, unde a. 65 Vratislaviam veni. Scholis interfui vv. Ill.: Boeckh, Braniss, Cybulski, Droysen, Elvenich, Geppert, Haase, Haupt, Hertz, Huebner, Jordan, Junkmann, Maercker, Nehring, Neumann, Roepell, Rossbach, Rueckert, Steinthal, Werder, quibus omnibus gratiam semper habebo maximam.



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881S35.YCY C001
QUAE SOCRATIS DE DIIS ET DAEMONIO FUERIN
3 0112 023832881